

præſerunt præclari duces P. Molina Tomo 3. Diſput. 1. & ſequenti. & Diſput. 19. vbi ſpecialiter lethalem culpam in hoc genere occurrentem exponit: ſicut & Diſput. 26. vbi contumeliam, quæ generaliter actionem ſignificat honori contrariam, grauius peccatum eſſe ait detractioe à tergo facta. Et præterea P. Leſſius Libr. 2. Cap. 11. Dubit. 27. Quibus accenſendus, inter primarios quidem numerandus Cardinalis Lugo Diſp. 1. de Iuſtitia num. 25. Diſput. 14. Sect. 11. Ex quibus & aliis conſtat Superiores etiam inhonorantes eos qui inferiores ſunt, grauius peccare poſſe: vnde & de modo reſtitutionis inquirunt, & varios pro eodem aſſignant.

Aſſertio 2. Regula ad grauitatē peccati diſtinguenda.

61. Dico ſecundò. Circa hoc ea eſſe regula poteſt, vt tunc graue peccatum reputari debeat, quando attentis circumſtantiis contemptus eſt notabilis, & qui poteſt in dehonoreto grauem dolorem excitare, ad amicitia diſſolutionem ſufficientem. Et poteſt vterius declarari ex doctrina P. Molina Diſput. 19. utat à numer. 1. vbi obſeruat contumeliam grauius peccatum eſſe furto, quia damnum inferit in bonis maioris apud homines æſtimationis. Sicut ergo in materia furti grauius peccatur ablatione eius quantitatis, quā Doctores diuerſimodè aſſignant, vt non ſit neceſſarium eſſe exceſſiuam, ſed quæ damnum non leue, dum auferitur, inducat: ita cum proportione de inhonoreto philoſophandum; in quo tamen nequit determinatum aliquid deſignari; vnde ad prudentiam eſt arbitrium in caſibus particularibus reuocandum. Illud addendo, ex qualitate perſonarum inhonoreto augeri, & minui; vnde cum Miniſtri Regij, Togati præſertim, viri primores ſint, eorum inhonoreto grauius eſſe poterit ex actione, quæ erga alios leuis poſſet iudicari.

Cafſus ſpecialis, circa quem inquiritur.

62. Iuxta quæ id poteſt in quaſtionem venire, quod in hac Regum Ciuitate ante annos non multos accidit. In publicâ enim ſupplicatione procedens Prorex Regij Senatûs comitatu, cum vidiffet duos ex Auditoribus, quorum alter ex equeſtri erat Diui Jacobi Ordine, communi galero vtentes, & non honorario, ſerico inquam, plicis, & circumligamine curioſius concinnato, eos in ipſo maiori foro, ſpectante multitudine, recedere iuſſit, & comminatione coëgit, cum rubore pariter & dolore: In quo, quidquid de facto fuerit, & agentis intentione, ſed reipſa ſecundum ſe ſpectata, non videtur de grauitate iniuriæ poſſe dubitari, circumſtantiis euentûs ponderatis: cum præſertim illi reuerenter abnuerent, & occultationem galeri proponerent, aperto capite proceſſuri. Sic enim id, quod minoris reuerentiæ videbatur, vitari poterat: quando & addi etiam poſſet, vſu non eſſe legem illam de ſingulari capitis operimento penitus confirmatam. Sed confirmatam demus, non debuit certè defectus ille tali inhonoreto mulctari, quam neque attendebant circumſtantes, & ex cuius tollerantiâ non poterant ſcandalum incurriſſe. Sic illud Caſſiodori accipio Lib. 10. 13. Non debet Senatus corrigi, qui debet alios paternâ exhortatione moderari. Non inquam debet corrigi publicè, & cum dedecoris adiectione: de quo ſpecialiter loquitur reſcriptum Regium citatum numer. 59. Moneri cauſius poterant, & id fatiſ vt in poſte-

Cafſiodorus. Vt corrigendi Senatores.

rùm ſe viri præſtantes emendarent. Vnde & apud eundem Scriptorem ſequitur: Sufficiunt hæc nobilibus, ſufficiunt iſta verecundis. Verba ſunt Theodahadi regis: vt inde Proreges nouerint, quâ debeant honoris ſignificatione Regios proſequi Senatores. Quod & de aliis dictum ſit conſimilis dignitatis.

CAPVT IX.

Pro iuſtitia quomodo teneantur Proreges Indici militare.

§. I.

De obligationibus circa commutatiuam.

Quæ ad illam ſpectant, ab Auditoribus Regiis expedienda frequentius ſunt, ad quos lites circa ciuilia ſpectant. Pro quo tamen 63. Dicoprimum: Proreges Indici (ſicut & alij) ex obligatione iuſtitia commutatiua tenentur curare ſolicite vt ab Auditoribus Regiis commutatiua item iuſtitia ſtabiliatur integritas, partium iuribus obſeruatis. Id conſtat: quia ex officio ad huiusmodi curam adſtringuntur, & propterea ſalarium recipiunt, omnium, quæ Rex in toto Coronæ ambitu Miniſtris ſoluit, pinguiſſimum, vt inſtar operariorum laborem pretio accipiendo ſtudeant exaquare. Pro quo eſt communis doctrina, vt hære hic debeat nullus. Neque enim dici poteſt ad curam hoc Auditorum ſpectare, quorum eſt conſcientia relinquendum. Nam licet verum ſit ad eorum curam præcipue pertinere, pro hac tamen curâ acueniendâ, in eorum Præſide cura debet ſuperior excubare. Tum tempeſtuum eorum aduentum ad tribunal vrgendo, ne de horis ad ius dicendum deſtinatis id deſit ſpatij, quod expeditioni poſſit negotiorum obſtare. Tum faciendò vt lites iam pridem inchoatæ, & cum incommodo litigantium interruptæ, ante alias terminentur. Tum ſecretiori Auditorum conſeſſui frequenter aſſiſtendo, aut etiam in publicis tribunalibus modum agendi eorum obſeruando; vt nullus neque in ſubſtantiâ, neque in modo, obligationi deſit ſua: aliquos enim in huiusmodi ſunctionibus committi defectus, frequentes ſolent litigantium querimoniam comprobare. Neque eſt cur Iurium ignorantiam obtendant, cum obligationis ſua nequeant ignorantiam allegare. Præterquam quod id verum, quod à Caſſiodoro dictum Lib. 7. 26. verbis illis: Laborioſum quidem, ſed non eſt impoſſibile iuſtitiam ſuadere mortaliſibus: quam ita cum ſentibus beneficium Diuinitatis attribuit, vt & qui neſciunt Iura, rationem tamen veritatis agnoſcant. Sic ille. Quod in Proregibus ſpecialiùs, viris magni frequenter ingenij, & rerum experientiâ, atque vlu ſapientium illuſtrati.

Aſſertio 2. Proreges ex commutatiua tenentur, vt eadem ab Auditoribus ſtabiliatur.

In quibus adhibenda cura.

Cafſiodorus.

64. Dico ſecundò. Violatio iuſtitia in caſibus prædictis graue peccatum eſſe poteſt, quando ſcilicet damnum eſt non exiguum & poteſt etiam contingere, ſi, dum Auditoribus ſuffragia proferentibus, libertatem ſuffragandi impediunt, voluntatis ſua ſignum verbis aut nutibus exhibentes: pro quo Dom. Solorzanus Lib. 4. Cap. 10. num. 25.

Aſſertio 2. Graue peccatum in deſectu eſſe poſſe. Obligatio nem reſtitutionis.

§. II.

De iuſtitia diſtributiua. Quomodo ergo Benemeritos exercenda, & in Beneficiorum prouifione.

num. 25. & in Politicâ Libr. 5. Cap. 8. pag. 817. §. La Sexta, & ſeqq. id fortè cauens, quod in Indiis expertus, in quibus Proreges liberiùs dominantur. Vnde obligatio reſtitutionis oritur, iuxta Doctores omnes, quod attentis circumſtantiis iudicio prudentium liquidandum. Et quod ad ſalarium attinet, ex quo id deducendum, quod ob laboris defectum non debetur, facile poteſt donatio aliquo, vt de more eſt, Regi factò, ſine honoris iacturâ componi. Quod partes verò lætias ob multiplicatas impenſas, & damna ex priuatione poſſeſſionis rei adiudicandæ prouenientia, Auditorum conſcientia plus grauatur: & intricatum nimis negotium erit quid ſingulis reſpondeat veſtigare. Scire tamen debent hac difficultate non eſſe penitus ab onere prædicto liberatos; ſed, vt dixi, docti Confeſſarij iudicio ab eo ſe poterunt, circumſtantiis perpensis, expedire. Quod ſi nimia difficultas rem reddat moraliter impoſſibilem, aut in opera pia conferant, aut Bullis Compositionis vrantur, vel etiam donarium Regi faciant in ordine ad bellorum expenſas quas cum hæreticis & infidelibus gerit: Sic enim pium dici poteſt; cum videamus hac de cauſa Bullam Cruciatæ concedi. Pro obligatione autem prædictâ videri poſſunt Auctores, quos adducit Baſſæus V. Reſtitutio 3. num. 16. In quo & Nauarra non eſſe immorandum ait Lib. 3. Capite 3. num. 476.

Quomodo illa faciendâ.

Excusatio non moralis aperit in eo culpa.

65. Poterit autem in prædicta cauſa illud eſſe leuamini, ſi Proregis peccatum non ſit aperte mortale: ſic enim iuari eorum ſententia poteſt, qui dicunt ſolum ex culpa lata, quæ Theologicè talis eſt, moralis ſcilicet, obligationem reſtituendi conſurgere: quam vt probabilem amplectitur Cardinalis Lugo cum aliis Diſput. 8. de Iuſtitia num. 93. & plures apud Baſſæum V. Reſtitutio 1. quos & ille ſequitur, probabiliorem aſſirmans. Quam & amplectitur P. Amicus Diſp. 20. de Iuſtitia num. 93. Poterit autem hoc frequenter accidere: quia Principes iſti non ita rigidè ad actiones huiusmodi ſe adſtrictos arbitrantur, & ingentia animi latitudine procedunt: vel non aduertunt, aut certè non recordantur ſe plenâ cum aduertentiâ proceſſiſſe: vnde licet grauius reipſa peccauerint, quia tamen non exacta eſt talis peccatis recordatio, non debent ad reſtitutionis duriffimum tormentum condemnari. Et pro caſu extorti ab Auditoribus ſuffragij, addi poteſt, vix in eo obligationem reſtituendi futuram, quia lites eſſe tales ſolent, vt iudices probabiliter poſint pro alterutrâ parte iudicare, etiam probabiliore relicta opinione, iuxta id quod tenent plures apud Dianam Parte 1. Tract. 13. Reſolut. 3. Sicut ergo illi ſic iudicando, ad reſtitutionem non tenentur, ita neque inducens. Vbi & dubitari etiam poteſt an metus talis ſit cadens in conſtantem virum, cum Senatores eâ debeant auctoritate pollere, vt propter Proregis beneplacitum non debeant à recto deuiare. Hoc ergo ſibi Prorex perſuadere poteſt, & ita oſtentionem voluntatis ſua nihil iniuſtum à ſuffragantibus extorſiſſe. Quod ſi dubitet, etiam illi probabilis ſententia ſuffragatur, de qua Dianâ ſuprà Reſolut. 28. pro ea Doctores adducens, & in fine affirmans eſſe probabilem.

Quid pro extorto ab Auditoribus ſuffragio.

66. Dictum de hoc Titulo 1. Cap. 5. & proprius diſtributiua iuſtitia conceptus explicatus n. 50. vt ſit virtus in Superiore reſidens, eum ad communium bonorum diſtributionem inclinans, iuxta merita ſingulorum, ad quos illa poſſunt pertinere. Vt enim citato loco dicebam, negari nequit quin reſpectu talis diſtributionis aliqua ſit conſtituenda virtus, cum ſit ad actus honeſtos, & ad ordinatam vitæ rationem maximè neceſſarius. Hanc ergo virtutem ex ipſo actu nomine deſumpto diſtributiua vocamus; reddit enim ius diſtribuendo: ergo diſtributiua iuſtitia eſt, ſicut commutatiua dicitur, quæ circa commutationes exercetur. Quod ſi dicatur honeſtum quidem eſſe actum illum, & ad iuſtitiam ſpectare, non tamen eſſe diſtributiua proprium, prout contra commutatiua ab Ariftotele & aliis diuiſa reperitur: id equidem nequit verofimiliter ſuſtineri: tum quia ſic dicens cõuenientia n. nominis iuxta propriam ſignificationem ad alia diſtrahit, de quibus nequit propriè affirmari: diſtributionem enuntiat de eo, in quo diſtributio non eſt: tum etiam quia actus dictus propriæ iuſtitia eſt, & non commutatiua vt patet: neque diſtributiua, vt aſſertur: neque vindicatiua, vt eſt euidentis: neque legalis; quia quomodocumq; explicetur (eſt enim multiplex eam explicandi modus) non verſatur circa communium bonorum diſtributionem, meritis ſingulorum attentis; ergo altera debet ſpecies iuſtitia conſtitui, quam Philoſophi & Theologi huc vſque penitus ignorarunt. Et id quidem ſine cauſa, cum explicari conuenientiſſimè poſſit iuxta propoſitam rationem.

Diſtributiua proprius conceptus explicatus.

67. Neque obſtat, ſi quis dicat gubernatorem, cum communia bona diſtribuit, iuſtitiam commutatiua exercere, quia ex pacto cum Republicâ, aut Principe, à quibus ſalarium accipit, tenetur communia bona inter ciues cum proportione ad merita diſpartiri: ſicut tenetur operarius iuxta præſcriptum domini, ſuppoſito pacto, in eius vineâ laborare. Dici enim poteſt vtramque locum habere, ſed reſpectu diuerſorum: ratione enim officij ex commutatiua obligatur ei, cum quo pacto præceſſit; reſpectu verò ciuium ex diſtributiua: vnde ſi eam violet, tenebitur quidem reſtituere ſalarij partem ei, cum quo pacto celebravit; & ſi ſupremus ſit, nullis non autem ciuibus eo emolumento defraudatis, iuxta communem ſententiam, pro quâ videri poteſt P. Leſſius Lib. 2. Cap. 1. num. ult. Cardinalis Lugo Diſput. 3. de Iuſtitia num. 51. & alij apud ipſos. Neque enim cum officium aſſumit, majus ciuibus ius acquiritur; ſed ille iuxta virtutum debet operari motiua, ad quarum exercitium obligatur. Et ita ad actus religionis, gratitudinis, fortitudinis, & ſic de aliis, tenetur: & cum eos exercet, ſi ad pactiõnem attendat, iuxta quam obligatio ad illos conſurgit, iuſtitiam commutatiua

Non obſtat re exercitium commutatiua pariter admiſcerit.



men Proreges abſolute, quem voluerint magis dignum reſeruat.

ligandæ Proregum, & aliorum Gubernatorum manus, quin poſſint quem libuerit, magis dignum reſeruat, præſentare enim illis abſolute competit; & quemadmodum ſi nominatio Prælati non præcederet, poſſent quem vel- lent, magis idoneum reſeruat præſentare; ita & nominatione ad tres redactâ, jus habet ad idoneitatem ampliùs explorandam. Si enim ad ſpecialiter nominatum à Præſente deberet adſtringi, res de ſolo nomine eſſet præſentatio, cum vix vllum in eâ eſſet exercitium poteſtatis: contra id, quod jus patronatus ſpecialis excellentiæ continet ab Eccleſia in argumentum eximie gratitudinis attributa. Et poteſt quidem Patronus no- tum aliquid in approbatis à Præſente deprehendere, quod ad variandam electionem poſſit non immeritò permouere. Niſi in ipſâ nominatorum graduacione adeò merita vnus meritis aliorum anteſtent, vt euidentis iniuria ipſi fiat, ſi ſcripturæ ordinem non ſequatur: prout ex Illuſtriſſimo Zapata tradit Dom. Solorzanus Lib. 3. cap. 15. num. 87. Videndus ille Parte 2. de Inſtituta diſtributi- ua, Cap. 6. num. 26. Neſcio autem cur Dom. Solorzanus præſentationem limitationem ſcclerum in Politicâ pag. 632. s. En quanto, qui Latino cor- reſpondet.

Ex verbis forma præſentationis roborati.

78. Iuuat autem ad hoc ampliùs comprobandum, verba Philippi Tertii Regis noſtri in quodam reſcripto circa formam in præſentatione ſeruandam, expendiſſe, cuius tenorem adducit Dom. Solorzanus ſuprà num. 14. ſic enim ait: Y de los aſi examinados eſto ſon los Arzobispos, y Obispos, tres los mas dignos, para cada vno de los dichos Benefi- cios, teniendo conſideracion à la ſuficiencia de la lengua para doctinar, y predicar, &c. Y eſtos, que aſi eſcogier en y nombrar en, los pro pongan à los Virreyes, Preſidentes de las Audiencias, y Gobernadores de ſu diſtrito, para que ellos es to jan vno, el que les pareciere mas à propoſito, y le preſenten en nueſtro nombre, para que con eſta præſentacion, le de la colacion el Arzobispo, ò Obiſpo, à quien tocare, &c. Eſt enim animaduentione digniſſimum, quod cum de proponendis à Præſentis agit, digniores futuros affirmat; cum verò de præſentandis ab eis, qui eius nomine hoc præſentare debent, non ait præſentandos eos, qui à Præſentis digniores fuerint iudicati, ſed qui ab ipſis magis apti fuerint reputati. Vno, el que les pareciere mas à propoſito. Non ergo tenentur iudicio Præſentis ſtare, ſed iure ſuo vt poſſunt: non quidem eligendo pro libitu, ſed conſideratione adhibita, aptiorem à ſe deprehenſum præſerendo. Cum enim à Præſentis exigat vt illi eligant digniores, à ratione videbatur alienum, vt minus dignos à ſuis vice-gerentibus eligi pateretur. Quamquam non deerunt, qui dicant in hoc Regem iuxta formam à Concilio Tridentino traditam proceſſiſſe, dum Seſſione 24. Cap. 18. aliter de Patronis Eccleſiaſticis, ac de laicis loquitur: illos enim debere digniores præſentare aperte decernit, non ſic iſtos, cum tantum dicat idoneos eſſe debere. Et non niſi idoneus reſeruat fuerit, admitti. Pro quo videnda, quæ diximus Titulo 1. num. 76. & 97. Sed certè prædicta non vrgent: quia Concilium Cap. 1. Seſſionis eiusdem, ſatis circa hoc ſuam mentem aperuit, vt oſtendimus ſit ato Titulo num. 69. & ſeqq. neque hoc præceptum poſitiuum humanum ſit, ſed naturale,

Concilium Tridentinum cur aliter de patronis laicis, ac de Eccleſiaſticis loquatur.

ſuppoſita Beneficiorum inſtitutione, vt ibidem dictum num. 71. Cur autem non eodem modo locutum fuerit, reſpondet P. Thomas Sancius Lib. 2. Conſiliorum, cap. 1. dub. 6. num. 6. ideò fuiſſe, quia hoc eſt ſub dubio (ſcilicet Patronum laicum ad digniorum electionem teneri) & ideò Conſilium deſinare illud noluiſſe. Quòd autem ad dignitatem pertineat & genus, & patria, dictum & probatum Titulo eodem Cap. 7. vt nihil circa hoc requiri ampliùs videatur.

S. III.

De iuſtitia vindicatiua, & que pro illa vrgent Proreges Indicos obligatio.

79. Vrgent equidem, vt iuxta Regii vatis exemplum, in matutino interficiantur omnes peccatores terræ, Pſalm. 100. verſ. 8. In matutino, inquit, interficiebam omnes peccatores terræ. Vbi Ioannes Campenſis ita legit: Tempeſtatiue eliminem omnes ſceleroſos à terrâ. Tempeſtatiue inquam, priuſquam damna permiſſione ſcleratorum excrescant, & vix remedium, vel valde profectò operoſum & quæſuoſum patiantur. Aliter D. Iſidorus Peluſiota Lib. 1. Epistol. 321. in qua ſic ſcribit: In matutino Inſtituta ſinceritatem, & integritatem, ac prudentiam declarat: nempe quid nec iracundia, nec temulentia eum ad eadem impellebat. Nam illa, eſt heſtero die illius animum concitabat, at per noctis longiitudinem mirigabatur. Hæc rursus, eſt veſpere ingens acceſſerat, per ſomnum tamen ſatis minorabatur, ac diſcutiebatur. Purâ itaque, inquit, ac integra, tum manu, tum mente, aduerſus eos, qui Deum ſcleribus ſuis laeſebant, arma induebam. Sic ille. Vbi & aliud opportune occurrit Indiciſ Proregibus obſeruandum, vt ſcilicet tempeſtatiue, ſummo mane, vt Campenſis habet lectio, ſcleratorum punitionem exerceant, non illam diutius differendo, ſed ſub ipſum delicti calorem: cum ſit experimento ſatis ſuperque perſpectum, huiuſmodi ſupplicii dilationibus multa impunita relinqui, aut interceſſionum inſtantia, aut falſarum probationum occasione, aut reorum fugâ, in iudiciis etiam indignatione juſtâ aduerſus illos frigeſcente.

Proregum cura in delinquentiâ punitione. Pſal. 100. v. 8.

Quid ſi in matutino eam exerceat.

D. Iſidorus Peluſ.

Pro Indiciſ quid ſpecialia. Campenſis.

A Republica Chriſtiana exterminando improbitates, vt qua dedecore maxime.

80. Eſt autem quod apud Vatem ſequitur, attentius inſpiciendum: Vt diſperderem de ciuitate Domini omnes operantes iniquitatem. Indignum ſiquidem erat vt in ciuitate Domini operarius quiſpiam iniquitatis verſaretur. Omnes, inquit; & qui omnes, nullum excludit. Nam vel vnus aliquis ciuitatem Domini ſanctam & electam dederet. Quid ergo iam Chriſtianos Gubernatores decet in Republica item Chriſtiana perficere, antiquiore illa, ſine comparatione aliqua, ſanctiore? Cui Diuus Petrus ſic alloquitur: Vos autem genus electum, regale ſacerdotium, gens ſancta, populus acquisitionis, vt virtutes annuntietis eius, qui de tenebris vos vocauit in admirabile lumen ſuum. 1. Petri 2. v. 9. Admirabile ſanè lumen fidei Chriſtiane eſt, vt homines reddere poſſit & debeat admirabiles: hoc enim eſt quod verbis adductis exponitur: Vt virtutes annuntietis, &c. Vt ſitis inquam, homines magni virtute, vt loquitur Siracides Eccl. 44. v. 3. adeoque magni, vt alios poſſitis

1. Pet. 2. v. 9.

ad

Ad Gubernatores adhortatio.

Aſſertio 1. Turbulentos à Proregibus cohibendos.

Reſcripti verba.

Dubium circa illa.

Aſſertio 2. circa curam erga alios iudices.

Aſſertio 3. Eorum peccatum, diſſentientium executionem impediunt.

ad conſimilem virtutum cultum prouocare. In hoc ergo lumine, in hac ſanctitatis ſchola, in hoc virtutum emporio, ſclera impunè graſſari, dominari laſciuiam, impudentiam effrenari, & more Gentilium tenebris improbitatum inuolui, quomodo non ſit horrendum dictu, factuque horrendu magis, & ad hæc Gubernatorum prouidentiam oſcitare? Non ſic, & præ aliis, qui excellentiam muneris Excellentia titulo designatis. Zelus in vobis viciſcendi diuinas iniurias exaſtuet, & mundandi Dei populum, acceptabilem, ſcleratore bonorum operum. Mundate, mundate, immunditiæ auctores expungite, impuritatis artiſices, & irritamenta libidinum, errorum, raptorumque cohortes, & dum nihil agunt, mala omnia perpetrantes, expellite, exterminate, diſperditate cum vate Rege, & vt vno verbo dicam, iuxta merita, iuſtitie ſeruato moderamine, caſtigat. Circa quod, vt ſpecialius aliquid proferam, 81. Dico primò. Proreges tenentur ſub graui conſcientiæ reatu turbulentos homines cohibere. Id clarum. Pro quo & Regium reſcriptum adducit Dom. Solorzanus Lib. 3. Cap. 27. num. 2. & in Politicâ Lib. 4. Cap. 27. in principio, ex Antonio de Herreſa Decade 2. pag. 91. in quo ſic dicitur: Y ſiendo ſobre todo muy neceſſaria laquierad para la Republica, ſeda facultad à los Virreyes, Preſidentes, y Gobernadores, y otras Juſticias, para que puedan echar de las Indias, y des terras las perſonas, que les parecieren inquietas, y embiarlas à eſtos reynos &c. Vbi merito inquirat quiſpiam cur in reſcripto dicto non mandatum, ſed ſola licentia proponatur, cum res hæc mandati rigorem poſtulare videatur? Ad quod quidem id dicendum occurrit, inquietos quidem homines iuxta delicti qualitatem puniendos Reges noſtros iudicare. Cur enim Proreges, & Gubernatores alij id præſtare circa huius generis crimina nequeant, quod erga alia poſſunt & debent Regi auctoritate præſtare? Hanc ergo obligationem cum ſciant illi, id ſibi gratum fore dubitari nequit. Quia verò aliquando timere Gubernatores poſſunt, ne in executione iuſtitie turbidum aliquid oriatur, minus forſitan in eâ deliberatione conſtantes, facultas iis conceditur, vt tales homines poſſint in Hiſpaniam ablegare. Quomodo autem circa Eccleſiaſticos ſe gerere debeant, dictum à nobis. Titulo præced. Cap. 11. & 12.

82. Dico ſecundò. Proreges graui conſcientiæ obligatione premuntur, vt Togatos criminum Auditores, iudicetque alios, in ſuo faciant puniendorum criminum officio vigilare. Conſtat ex diſtis s. 1. Dico Tertio. Grauius etiam peccant executionem ſententiæ à præſentis, ordine iuris ſeruato prolatæ prohibitu impediendos, etiamſi miſericordiæ affectu ducti id fecerint, vel interceſſionibus, quæ ſunt in regionibus iſtis vrgentiſſimæ. Quod equidem ratio manifeſta conuincit: nam ſententia talis iuſta eſt, & comuni bono conueniens: ergo illam impediens contra iuſtitiam in graui delinquit, & ita grauius peccat abſolute: quia ſicut contra iuſtitiam facere eſt abſolute peccare, ita & grauius facere, grauius delinquere eſt. Neque ſit ſatis ex ſuprema illius poteſtate licet: enim ſu-

prema poſt Regiam ſit, ſuis tamen limitibus coarctata, & circa hoc præſertim per ea quæ adducunt Dom. Solorzanus Lib. 4. Cap. 10. num. 45. & ſeqq. & in Politicâ pag. 878. s. Pero aunque, & ſeqq. & Dom. Felicianus à Vega in Cap. 4. de Indiciſ. s. De Adulter. num. 76. & ſeqq. Sublatâ ergo poteſtate, perinde ſe habent, ac ſi perſonæ priuatæ eſſent, quæ ſine graui peccato non poſſent ſententiam legitime pronuntiatam impedire.

83. Dico quartò. Similiter peccant Proreges, ſi ante cauſæ conſuſionem & ſententiæ prolationem, incarceratos iubeant liberos è carceribus auolare. Id planum: quia graui delicta ſic manent impunita, & ex impunitate damna ingentia progrediuntur. Pro quo eſt præclara D. Leonis Magni ſententia Epistol. 53. in qua ita ſcribit: Impunitarum tranſgreſſionum augetur exceſſus, & creſcunt culpe, que toleratæ ſunt ſtudio fidei reparandæ, & amore concordie. Hæc ille. Si ergo impunitas criminum ob reſpectus illos adeò nobiles, ita exitioſa eſt: quid jam fuerit, vbi ex leui quodam oſtentandæ poteſtatis impetu, aut alio ſimili, ſtabilitur? Quod vrgeri poteſt ex eo quod in noſtris Indijs viu firmatum inuenimus, & de quo Dom. Solorzanus Cap. 10. citato num. 26. Proreges ſcilicet, cum ante Paſchales ferias viſitationibus carcerum cum Regiſ Auditoribus interſunt, circa eorum diſmiſſionem aut retentionem ſuffragium non habere, niſi cum diſcordant Auditores. Eſt ergo illis interdita prorsus carceratorum diſmiſſio: & cum res non leuis momenti ſit, plusquam leue erit peccatum in tali diſmiſſione commiſſum.

84. Dico quinto. Ad Proreges maxime pertinet Indorum iniurias vindicare, ad quod grauiſſimo conſcientiæ periculo conſtringuntur. Id conſtans; quia imbelles, infirmi, pauperes, de quorum fide præſertim agitur toto Indorum moliminum apparatu: miſerabiles perſonæ, ſuis in terris exterorum imperio, nihil tale merentes, ſubjugati: circa quorum commoda Regum Catholicorum cura peruigilat, & ita eam vices-gerentibus ſuas pergunt frequentiffimè commendare. Sed quor illi ſunt quibus voces iſtæ ita reſonent, vt ad earum inſtantiam miſericordiæ viſcera ſuſcitantur? Omnia oſſa mea dicent: Domine, quis ſimilis tibi? Eripiens inopem de manu fortiorum eius: egenum, & pauperem à diripientibus eum. Sic Vates Rex. Pſalm. 34. v. 10. Mirabilis profectò laudationis modus, quam non lingua, ſed oſſa omnia pronuntiant. Ita ſanè. Singulare genus laudis eſt, quia ſingulare & inſolitum beneficij genus prædicatur inuentum: Quòd ſcilicet ſit, qui pauperum & oppreſſorum patrocinium amplectatur. Quis in hoc ſimilis Deo? Si forte aliquis, inſolito laudis genere celebretur, & ea, quæ ſenſu carent, vt oſſa, ſenſu ad illam mirabiliter adepto conſurgant. Si ergo velint Proreges Deo ſimiles reddi, ſi laudibus inſolitatis, & ex inſolito prodeuntibus affectu iuſtollant, eripiant inopes Indos de manu fortiorum, egenos & pauperes à diripientibus ipſos. Vbi præſertim indicati illi, qui eorum gubernationi, protectioni, & deſenſioni, iuſtis ſtipendiorum commodis præficiuntur. Hi enim gubernationem in crudelem ſoliti conuertere direptionem. Quod malum omnium

Aſſertio 4. Encarceratos diſmiſſentes.

D. Leo.

Aſſertio 9. Indorum debere iniurias vindicare, pro quibus deſclamatur.

Pſal. 34. v. 10.

Singulariſſima laus ex eo, & Deo, & eius locum tenentibus.

Maius à gubernatoribus no- cumentum.